



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

3. Quid jurisdictio fori interni, & externi? quomodo dividitur in ordinariam, delegatam, voluntariam, contentiosam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

2. Jurisdictio est potestas quâ non cognoscimus tantum, & judicamus, sed & judicatum exequimur. *L. 1. 2. & 3. ff. de jurisdict. utiq;* potestas de jure publico introducta *Barth: in L. 1. ff. de jurisdict: om: jud.* Defectu cujus, licet & Dominus in servum, maritus in uxorem, pater in filium familias, Magister in discipulos auctoritatem habeat, & sub culpa etiam imperandi potestatem, *Navar: in man: c. 14. n. 12* ea tamen propriè, jurisdictio non est, cum magis ad domesticam & privatam, quam publicam gubernationem spectet, ut bene *D. Tho: 2. 2. q. 58. art: 2. ad secundum.*

3. Jurisdictio, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae fori, utraque subdivisa in ordinariam & delegatam, quæ autem externi fori est jurisdictio, iterum distinguitur in voluntariam & contentiosam, Ecclesiasticam, & sæcularem, criminalem & civilem, in simplicem jurisdictionem & imperium: denique imperium in merum & mixtum, variosque gradus, ut videre est apud *Barth. in L. Imperium ff. de jurisd. om. jud. Scip. Gentil. 1. de jurisd. Goveanus lib. 2. de jurisdict. n. 7.*